

Quaestio medica. : cardinalitiis agitanda disputationibus, in Antonianis Medicorum Remensium Scholis, die Mercurii 17 Decembris, horâ septimâ matutinâ. / M. Henrico Macquart, ... praeside. ; An quinque mediicna partes medico necessaria.? ; [Proponebat ..., Joannes Raimondus Bailheron ... ; pro doctoratu.]

Contributors

Macquart, Henri Jacques, 1726-1768.
Bailheron, Jean Raymond, active 1755.
Université de Reims.

Publication/Creation

[Rheims] : Ex typis R. Florentain, ..., [1755]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ak9ksk4w>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DEO OPTIMO MAXIMO,
VIRGINI DEI-PARÆ,
ET S. LUCÆ, MEDICORUM ORTHODOXORUM PATRONO
QUÆSTIO MEDICA.

*Cardinalitis agitanda Disputationibus, in Antonianis Medicorum Remensium Scholis,
die Mercurii 17 Decembris, horâ septimâ matutinâ.*

M. HENRICO MACQUART, Professore Mallio, Præside.

An quinque Medicinæ Partes Medico necessariae?

I.

MULTI nomine Medici; re autem & opere perpauci. Unum e millibus elige, quem probitas commendet, ratio regat, confirmet experientia, universa rerum medicarum scientia exornet. Medicina alia est speculativa, alia practica; utriusque finis, sanitas. Ad finem collimat speculativa, dum hominis sani naturam indagat in Physiologiâ, corpus morbo affectum in Pathologiâ considerat, & morborum signa in Semeiotice perpendit. Scopum ttingit Practica, cum sanitatem in Hygieine tuctur, in Therapeutice restituit.

A

Choræas dicit *Physiologia*, nec immeritò; qui enim partium officia non calluerit, is earumdem vitia male dignoscet, pejus curabit. Objectum Physiologiæ, res naturales, sive naturalem hominis compositionem ingredientes. Septem vulgo recensentur, elementa, temperamenta, partes, humores, spiritus, facultates & functiones. Quot capita, tot ferè de *Elementis* sententiae. Hic nubes & inania captans, formas primas, sēminum & motū originem prosequitur. Ille materiam primam ad arbitrium cūdens, ad nutum secans, ad libitum movens, ingeniosas nequit fabulas. Ignem, aërem, aquam & terram Peripatetici jactant; Chymici salem, sulphur, mercurium toto crepant ore; si sapis, inextricabiles systematum nodos otiosis relinque. Vera corporis principia, oculisque subjecta fidelibus, sunt partes solidæ & fluidæ, ulteriora ne quæsieris. *Temperamenti* nomine intelligitur certa quædam corporis habitudo, ex mutuâ fluidorum solidorumque actione pendens. Hinc innumeræ temperamentorum differentias conjice; prout enim pars fluida tenuior est aut spissior; prout solida plū minus tenditur, relaxatur; diversa exurgunt temperamenta, sua cuique sexui propria, diversis regionibus diversa, & in iisdem subjectis pro ætate, tempestate, moribus, victus ratione mutabilia. *Pars* definitur, quidquid totum ita complet, ut suâ præsentia perfectio addat, absentia detrahatur. Duplicis generis partes jam agnovimus, solidas nempè & fluidas. Solidæ ex fibris, modo per fasciculos collectis, modo in telas expansis conflantur. Ex iis membranæ, ex membranis vasa, ex vasis glandulæ, ex glandulis & vasis totum corpus componitur. Fibras irrigant quotquot sunt in corpore *Humores*, motu perpetuo agitati. An solida fluidis imperent, an pareant, disputant authores; sed perperam: agunt in invicem & aguntur, mutuasque cause & effectum vices præstant. Vivifica succorum moles, qualis in arteriis venisque continetur, sanguis audit, omnium humorum fons inexhaustus. Sanguinis materia, chylus, liquor lacteus & subdulcis, ex alimentis in ventriculo eliquatis proveniens. Chylosim inchoat oris & dentium actio, adjuvat gastricus humor, perficit stomachi & partium adjacentium motus, confirmat bilis & succi pancreatici permixtio. Chylus in intestina delapsus, notâ regione viarum ad venam subclaviam appellit, divitibus undis sanguinem auget, singulas corporis partes peragrat, pabulo tote alluit, succosque quibus foetus est, si inutiles amandatos, si utiles, resorbendos glandulis impertit. Ad secretionum varietatem explicandam, quæ afferuntur fermenta, pororum configuratio, liquor glandulis ingenitus, figmenta totidem. Ut in hepate bilem, in renibus urinam, in cute sudorem &c. sic in cerebri cortice *spiritus animales* sanguis deponit. Si oculorum aciem fugiunt, mentis captum non superant. Nauseam hodie movet vetus *facultatum* cantilena. Quod vanis earum idolis bona affixerat antiquitas, illud in artificiosam partium mechanicem oculatior refunde. *Functio* dicitur animæ, vel corporis, vel utriusque simul operatio. Celebris est functionum in vitales, naturales, animales distinctio. Vitales dicuntur, quæ vitam ita faciunt, ut iis carere nequeat, ut motus cordis, respiratio, sanguinis circuitus &c. Naturales assumpta sic mutant, ut in naturæ nostræ partem abeant. Ad hunc censum pertinent actiones viscerum quæ recipiunt, retinent, movent, mutant, miscent, secernunt, applicant, excernunt. Animales ita in homine contingunt, ut vel intellectus humanus ejusmodi ideas indè concipiatur, quæ actioni illi corporeæ unitæ sunt; vel voluntas his actionibus excitandis operetur, aut iis natis moveatur. Huc spectant animi affectus, sensus & motus voluntarii. Cerebrum, Regia mentis est, sublimibus alta columnis. Spiritus animales, Regiæ ministros non male dixeris; nunc enim mentis mandata partibus deferunt, unde motus animalis; nunc velut exploratores externis incident organis; & ad cerebrum reflui, de iisquæ extus geruntur, mentem admonent, unde sensus. Quâ ratione anima in corpus agat & mutuò à corpore patiatur, tu ne quæsieris, scire nefas. *Dixit & facta sunt.* In

organorum & effectuum observatione ³ quiescit Medicus, in causis supremam
Numinis voluntatem adorat.

II.

HO M I N E M sanum, functionum omnium integritas facit; in unius etiam defectu, morbus. Ut actionum perfectionem explicat Physiologia, ita laesionem comprehendit Pathologia, quæ agit de morbo, causâ morbi & symptome. *Morbus* ritè definitur affectus præter naturam, à quo actio, primò & propter se læditur. Cùm autem actiones sint partium; partesque considerentur vel ut simplices, vel ut organicæ, vel ut ex simplicibus & organicis compositæ: indè tria oriuntur morborum genera, intemperies, mala conformatio, & unitatis solutio. Intemperies in partem simplicem cadit; mala conformatio, parti organicæ propria est: utriusque competit unitatis solutio. Intemperies juxta Veteres vel est simplex, ut calida; vel composita, ut calida & humida. Verum Neoterici caloris, frigoris, humiditatis & siccitatis idæas explodunt, meliusque ad acre, falso, acidum &c. configunt. Mala conformatio, veles in figurâ, ut oris distortio; vel in meatu latiore, ut anevrisma; angustiore, ut obstructio: in lævitate, ut lienteria; asperitate, ut tracheæ arteriæ raucitas: in magnitudine auctâ, ut pes longior; imminutâ, ut digitus brevior: in numero excedente, ut sextus digitus, deficiente, ut manus amputatio: in situ, ut hernia; in connexione, ut palpebrae utriusque coalitus. Præter essentiales morborum differentias, dantur & aliæ accidentales, quæ ratione circumstantiarum, diversa & notatu digna, sive ad prognosim, sive ad curationem nomina fortiuntur. Sic ratione durationis, morbus est chronicus, ut hydrops; acutus, ut plevritis; peracutus, ut febris ardens; acutissimus, ut apoplexia. Ratione moris, benignus, ut alvi fluxus; malignus, ut variolæ; venenatus, ut viperæ morsus; contagiosus, ut pestis. Ratione numeri, unus, ut simplex ventriculi intemperies; compositus, ut phlegmone; implicitus, ut plevritis cum asthmate; connexus, ut febris à plevritide; dispersus, ut ulcus pedum cum nephritide. Ratione originis, hæreditarius, ut lues venerea; adventitius, ut paralysis. Ratione loci, sporadicus, ut lethargus; endemius, ut Anglorum Phthisis; epidemius, ut morbilli. His omnibus morborum differentiis suæ à Medicis *Cause* tribuuntur. Felix qui potuit morborum noscere causas, ignoti enim nulla curatio. Qui plures morborum causas statuunt, his ignoscimus, dum ignoscant nobis quod statuamus pauciores. Causas igitur in antecedentes & conjunctas, sive in externas & internas distinguimus. Illa plerumque pravus est rerum non naturalium usus; hæc latet in solidis modò, modò in fluidis: si à sanguine nomen accipiat, plethora dicitur; si ab humoribus, cacoehymia nuncupatur. *Symptoma*, sic dictum, quod morbis causisque accidat, est effectus contrà naturam, qui morbum, velut umbra corpus, sequitur. Tria distinguuntur Symptomatum genera, actiones lœsæ, excretorum & retentorum vitia, mutatae corporis qualitates. Symptoma actionis lœsæ totuplex, quotuplex actionum lœsio; læditur autem vel imminutè, ut in bradypepsia, vel depravatè ut in malaciâ, vel acutè ut in fame caninâ, vel abolitè ut in paralyssi. Excretorum & retentorum vitium quintuplex est; vel enim peccant in substantiâ, ut vermes, calculus; vel in qualitate, dum acria sunt, salsa, naturæ suæ degenera &c. in quantitate deficiente, ut ischuria; excedente, ut diabetes; in loco, ut ileus; in tempore tandem, ut tardior vel citior menstruï sanguinis excretio. Mutatae dicuntur corporum qualitates, cùm sensibus externis ingratè percipiuntur. Sic color flavus in ictero visum, gravis axillarum odor olfactum, ructus acidus gustum, linguæ scabrities tactum, borborygmi auditum molestè & contrà naturam afficiunt.

SI cœcus à cœco ducitur, ambo in foveam cadent. Lapsum times? facem præferat *Semeiotice*; lubricum ostendet iter, & affulgentibus signis ad morborum cognitionem quasi manu te perducet. Signa morbi, alia sunt commemorativa, diagnostica alia, alia prognostica. Commemorativa præteritum morbi statum exhibent, diagnostica præsentem explicant, prognostica futurum præfagiunt. Hæc vel salutaria, quæ sanitatem portendunt, vel lethalia quæ mortem ominantur. Omnium cognitione medenti necessaria. Non danda remedia, ubi natura morbo superior, sola potest opus explere: non danda etiam, ubi nullus Medicinæ locus, & viator morbus ægrum jugulat: crimen esset in homicidii partem venire, nec infamandum præsidium alias profuturum. In rebus dubiis præstat anceps potius quam nullum remedium experiri; at illud dijudicare, non cujusvis est (*judicium enim difficile*), sed sagacioris Medici, qui spem ab absolutâ signorum cognitione depromit. Ceteris præstant Pathognomonica, quæ omni, soli & semper convenient. Utinam talia in omnibus aedescent! His deficientibus ad aliorum syndromen configiendum. Signa diagnostica, vel speciem morbi denotant, vel morbi causam ostendunt. Quæ speciem morbi denotant, desumuntur à parte affectâ, actione læsâ, doloris proprietate, situ, propriis accidentibus excrementis, juvantibus & laudentibus. Sic à juvante calido remedio morbus frigidus innotescit, punc torius plevræ dolor pleuritidem indicat, motus & sensus privatio apoplexiā signat, sputa purulenta phthisim arguunt, rubor in oculis phrenitidem minatur. Signa quæ morbi causam ostendunt, repetuntur ab affectus specie, partium naturâ, excrementis, humore dominante, doloris proprietate & cutis colore; sic erysipelas bilem, arenulae in urinis calculum, affectio hypochondriaca bilem atram, pruritus salsam pituitam, ruber color sanguinem ægritudinis causas esse denuntiant. Signa prognostica humoris coctionem vel cruditatem, longitudinem morbi vel solutionem, vitam vel mortem præfagiunt. Apage chiromanticos, sagas, & alios ejusdem farinæ ardeliones, quorum fortuna vitrea, dum splendet frangitur; qui polliceri, non præstare, prædicere & mentiri solent: Medicus ut de vita longitudine vel brevitate decernat, non manuum incisuras, non articulationes metitur; sed naturæ cursus & recursus, momenta, casus, fortunas, discrimina tacitâ mente volvit & revolvit; sive effectus obscuros, per evidentes causas; causas latentes per effectus manifestos investigando, artificiosæ præfigitationis habitum assequitur. Nihil in arte pusillum, nihil contemnendum: abjecta quævis & sordida, Medico sunt prædictionis materies; sputa, lacrymæ, sudores, fæces, sanguinis stillicidia, maculæ cutis, linguae color &c. sed ad crises, arteriæ pulsus & urinas præcipue respiciendum. Crisis est materiæ evacuatio, cum insigni corporis perturbatione, & morbi mutatione sive ad salutem, sive ad mortem. Tuitior est quæ per evacuationem contingit, quam quæ per abscessum; optima, si fiat cum ægrotantis euphoriam; pessima, dum vires prosternit, absque ullâ morbi remissione. Pulsus, est alterna arteriæ repletio & inanitio, à cordis vasorumque systole & diastro pendens. Omnes omnium pulsuum differentias quas Galenus enumerat, mitte sectari: satis erit naturales pulsus conditiones in quantitate, qualitate, quietis tempore, robore, arteriæ statu positas observare; ut enim pulsus plenus, validus, ordinatus, mollis, sanitatem promittit; ita parvus, inæqualis, intermittens, formicans, vermicularis, cœnulifivus, res ægrotantis in deplorato esse prænuntiat. Urina, humor est satis notus, ut definitione non egeat. Varia est ratione quantitatis, coloris, consistentiæ & contentorum. Pro variâ principiorum quibus constat indole, varios corporis affectus declarat. Cavebis tamen ne ibi periculum grave vaticineris,

5

ubi levior causa urinas in deterius mutavit : frustrà etiam salutem spondet urina, nisi cætera consentiant; *urina bona.* & tamen æger moritur. Si quid dubium (quod sepe contingit) urina repræsentat, solvet dubium omnium corporis partium sedula lustratio: ad sexum, ætatem, vitæ genus, loca, tempora attende. Verba dat & ægros ludit, qui ex solâ urinarum inspectione se morbos omnes cognoscere hariolatur.

I V.

HYGIEINE sanitatem rectâ vivendi ratione servat: Quid præstantius? objectum ipsius, *res non naturales*, aër, cibus & potus, motus & quies, somnus & vigilia, excreta, retenta, & animi pathemata. Aëris in corpora vires demonstrare quid opus? malè affici, satis est ad morbum; satis ad mortem, non affici. Laudatur purus, tenuis, amoenus, serenus, temperatus, nullis fœdatus inquinamentis. Contrariorum lege noxius innotescit. Quodnam sit aëris insalubris remedium, rogas? nullum fugâ tutius agnosco: si fugere non licet, aërem impurum suaveolentibus emenda, contagiosum spirituosis corrigere, humidiorem exsicca, refrigerera calidiorem. Deficienti semper naturæ, necessarium semper alimentum. Ut victum ex arte præscribas, distingue ætatem, pérpende vires, regionis, tempestatis & consuetudinis rationem habe. Frustrà laudabilis cibus, si pareni dispare sumunt. *Senes facillimè jejunium ferunt, mox atate corfistentes, minimè adolescentes, omnium minimè pueri.* Apor. Hipp. 13. Sect. 1. Corpora quæ crescent, plurimum habent calidi innati, plurimo igitur egent alimento. Apor. 14 Sect. 1. Ventres byeme & vere naturâ sunt calidissimi; his igitur temperibus, alimenta plura exhibenda. Apor. 15. Sect. 1. In genere, optimus alimenti modus, quod quisque concoquit: sapit qui stomachum suum interrogat. Quod simplicior cibus, eò salubrior. Qui palato sapit, boni succi est, & facilis digestionis, cæteris præferatur. Rarò profundit condimenta, sapissimè nocent. Cur artas nostra morborum adè ferax? in promptu ratio est, coquos numera. Quis in sumendis cibis ordo servari debeat? An cœna prandio liberalior concedenda? Quæstiones sunt, quas convivarum disputationi libenter relinquimus. Aqua, potus omnium antiquissimus. Fluvialis, modo pura sit, optima: pessima palustris. Ad fluvialem fontana, ad palustrem putealis accedit. Aquam sic lauda, ut vinum non improbes. Ebrietas fœdum morbi genus: sed in ebrium infamia cadit, non in vinum, quod vi suâ prodest, alienâ tantum culpâ nocet. Exercitii utilitatem luculenter probat morbus, commune otii stipendum. Hinc apud veteres, prima lex sanitatis, non satiari cibis; proxima, impigrum esse ad laborem. Motus, si moderatus, vires auget, corpus firmat, humores crassos dividit, crudos coquit, superfluos eliminat. Sed bona sunt vicina malis; immodicus solida atterit, exurit fluida, spirituosa ventilat. *Medium tenuere beati.* Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis; sed eadem ignavum corrumpunt otia corpus. Docet Medicus quo quisque modo fugiatque feratque laborem: sic corpus exercet ut non fatiscat, sic quiescere finit ut non torpescat, auream ubique sectatur mediocritatem. Optimus somni & vigilæ ordo, dum sese mutuò excipiunt. Modum in utroque servare memento. Somnus longior, solidorum elaterem obtundit, fluida inspissat, caput replet, sensus hebetat. Vigilia bilem exasperat, auget acre, spiritus consumit, impedit nutritiōnem. *Medio tenuissimus ibis.* Per excreta & retenta intellige corporis succos, vel utiles & in nostri substantiam facescere aptos, vel inutiles (quâ data porta) abigendes. Non impunè seres, si in retinendo vel excernendo natura deliquerit. Profuso laudabilem succorum thesauro, imminent virium, vita jaētura: retentis que sunt excernendi, gemunt sub pondere vires, sarcine brevi succumbendum. Sanitati utiles esse animi motus, quis ignorat? amore, spe, gaudio &c. Sanguis

vegetior fluit, stimulatur solidorum actio, promoventur secretiones, uberior fit transpiratio. Sed sunt certi fines, quos ultra citraque sanitas consistere nequit. Laxatis habenis nocent affectus, qui prosunt temperatis. Procul ergo mœror, odium, iracundia, libido, auri fames, livor &c. quæ fuscèque omnia miscent, & laesas functiones enormi quatunt tumultu. Extrá aleam est, qui domesticis hostibus imperat, motos componit fluctus, sperat infastis, metuit secundis alteram sortem benè preparato pectore, æquam rebus in arduis servat mentem, non secùs ac bonis ab insolenti temperatam lætitiam. Sic sanitatem ut ut lubricam Medicus stabilit ac tuetur; &c, quod sapientis votum est, mentem sanam facit in corpore sano.

V.

UT sanitatem præsentem Hygieine servat, sic lapsam Therapeuticæ restituit. Non unâ eademeque morbos omnes opugnat armaturâ. Æs illi triplex, triplex telum, Diæta, Pharmacia, Chirurgia. His omnibus satis olim fuit unus artifex; posterior ætas ad majorem sedulitatem plures dedit. Pharmacopæus remediorum armamentario præst; manus auxiliatrices adhibet Chirurgus: Medicus, summus rei medicæ Dictator, quid, quantum, quomodo & quando sit agendum indicat, & tripartitam adversus naturæ hostes aciem movet. Diæta, debita est rerum non naturalium, vicitus præsertim administratio. Ut variat morbus, variam vivendi legem expedit. Tenuis & exquisitus vicitus, in longis morbis semper periculosus. Aphor. Hipp. 4. Sect. 1. Ubi peractus est morbus, tunc tenuissimo viatu uti necesse est. Aphor. 7. Sect. 1. Sed considerare oportet an æger tali Diætâ ad morbi vigorem sufficiat. Aphor. 9. Sect. 1. Videndum etiam quibus semel aut bis, plura pauciorave offerri conducat; sed dandum aliquid regioni, tempori, consuetudini, & ætati. Aphor. 17. Sect. 1. Evidenter Therapeuticæ pars, Chirurgia. Vulnera sanat, tumores resolvit, apostemata maturat, ulcera abstergit, luxationes reducit, fracturas restaurat, &c. Omnes ipsius operationes ad continui divisionem, divisi unionem, extractionem alieni, & remediorum externorum applicationem non malè revocaris. Pharmacia paucarum herbarum olim scientia, nunc prodigiosâ remediorum sylvâ luxuriat. Ex his sunt gratiiora alia, quæ in usum vocavere hodierni Medici, delicatori hominum palato indulgentes; alia quæ vetus ætas comprobavit, minus grata, virtute præstantiora: sunt composita quædam, quædam simplicia; in utrisque mitiora, vehementiora. Sapit qui in denso Pharmacorum agmine, ex multis pauca, ex paucis exquisita indicationibus accommodat. A morbo, causâ morbi, & Symptomatis præcipuæ fluunt remediorum indicationes. Morbus tolli, causa deleri, mitigari symptomata postulant. Singula in tempore & loco exequi, hic opus, hic labor est. Quidquid agat Medicus, in votis habet aut morborum emendare causas, aut emoliri. Causas emendat remediis alterantibus, quæ vitiatam humorum crasim immutant; exemplo sint, diluentia, refrigerantia, antiscorbutica, febrisfuga, &c. emolitur per evacuantia, quæ naturam ab humorum colluvie feliciter expediunt. In plhethorâ, optimum evacuationis genus, venæ-sectio. In eâ celebrandâ revulsioni aut derivationi consule. Urgente necessitate infantibus, senibus, gravidisque mulieribus venam seca; detestanda eorum religio, qui dum sanguini parcere volunt, ægrum immitti pietate jugulant. Ut plethoram venæ-sectio, sic caco-chymiam purgatio tollit. Varia sunt purgantium genera, quæ indiscriminatim adhibere, nefas. Alia per vomitum humores agunt, alia per secessum: quòd natura v̄em in primis viis humorum faburram potentius eluunt: sed cautele stabilantur, ancesps istud remedii genus: quòd fortius agit, eò validius laedit tractandu

præpostorè adhibitum; caveat Phthisici, Hemoptoici, Plethorici &c. In
aliorum evacuantium usu maximâ quoque prudentiâ opus est; data tempore
prosunt, alieno nocent. Nullus ergo temerario ausu in Medicinam involet,
nisi remedium diversis morbis, diversis morborum temporibus, symptomatis,
causis, ægri viribus, naturæ, ætati, regioni, temperamento noverit accommo-
dare; nisi sciat quid sanitatem foveat, quid destruat, quid reparet. Hanc Scien-
tiam non aliunde quam ex quinque Medicinæ partibus comparaveris.

Ergo quinque Medicinæ Partes Medico necessariae.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. PETRUS JOSNET, Professor M. LUDOV. HIERONYMUS M. PETRUS JOSNET, Prof.
Antonianus. RAUSSIN, Professor Schol. Scholarum.
& Decanus.

M. HENRIC. MACQUART, M. HENRICUS NINNIN, Se. M. DESIDER. LECAMUS.
Professor Mallius. *renissimi Principis Claromontii*
M. THOM. LARBRE, Professor Comitis Medicus ordinarius.
Antonianus. *Professor Scholarum.*

Proponebat Remis, JOANNES RAYMONDUS BAILHERON.
Biterrensis Saluberrimæ Facultatis Remensis Licentiatus.
A. R. S. H. M.D CC. LV.

PRO DOCTORATU.

Ex Typis R. FLORENTAIN, Regis, Universitatis
Facultatisque Medicinæ Typographi.

Philippe de Hippis, caesar Philippi, Hemistotio, Pintor, &c. In
l'Université de Paris, le 1^{er} juillet 1700. Il a été nommé
docteur en médecine par la Faculté de Paris, et il a obtenu
la licence à Paris, le 1^{er} juillet 1700. Il a été nommé
professeur de Médecine à l'Université de Paris, le 1^{er} juillet 1700.

Il a été nommé Médecin à l'Hôpital Saint-Louis, le 1^{er} juillet 1700.

DOMINI DOCTORIS DISPUTATIO.

IN UNIVERSITATE PARISIENSIS, A.D. MDCCLXVII. IN LIBRARIIS UNIVERSITATIS, ET
LIBRARIA MAGISTRI PHILIPPI DE HIPPIS, PROFESSORIS MEDICO-CHIRURGICI.

IN LIBRARIIS MAGISTRI PHILIPPI DE HIPPIS, PROFESSORIS MEDICO-CHIRURGICI.

IN LIBRARIIS MAGISTRI PHILIPPI DE HIPPIS, PROFESSORIS MEDICO-CHIRURGICI.

IN LIBRARIIS MAGISTRI PHILIPPI DE HIPPIS, PROFESSORIS MEDICO-CHIRURGICI.

ARMIS MDCCCLXVII.

PRO DOCTORATA.

ATLANTIC LIBRARY
UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY
PHILIPPE DE HIPPIS